

Sexta etas mundi

Anno mundi. 6609.

Anno xpi. 1410.

Johannes eius nomis vigesimustercius papa. patria neapolitanus et nobilitas. Baldefar cognomento coffa antea vocatus. sancti eustachij dyaconus cardinalis hoc anno predicto alexandro mortuo bononie pontifex creatus. sedit annis. 4. mensibus. x. Sunt qui scribant id factum violenter esse. quod et legatus bononiensis esset armatos milites tum in urbe tum in agris per statione habuerat. ut si precario id obtinere non posset minus et armis tandem consequeretur. Cum multi producti fuerunt neminem approbare voluit. date inquit mihi petri clamides ego eam dabo pontifici. ille pallium humeris suis imponens. papa ait ego sum. id quibus patribus displicuisset. utcumque est. constat eum pontificem creatum fuisse ad eamque dignitatem semper aspirasse. Erat autem hic pontificum et civilium iurium peritissimus. vir in temporalibus quidem magnus. in spiritualibus nullus omnino atque ineptus. et rerum gerendarum experientia magisque vite sanctimonia preeditus. Qui suscepto pontificatu dies aliquot bononie commoratus. et postmodum romam profectus est. fuerat enim illa prius aliquanto de manibus extorta ladislai. Iter eius per agrum florentinum et senensem ad inferum mare. inde per tarquinatam ad urbes fuit. post hec apparatus facti. missaque aduersus ladislauum copie. duces militie erant paulus visus et Sfortia. Verum sequenti anno iterato iohannem bello verare cepit. Ideo pontifex timore correptus florentiam primo. postmodum bononiam venit. et non ita multo post mantua ad iohannem franciscum gonzagam profectus est. ibidemque et laude et cremone cum sigismundo cesare de pellendo ladislao qui romam et multa ecclesie oppida occupauerat conuentum habuit. Inde ad concilium iohannes omnium nationum consensu citatus ad tollendum scisma duos cardinales in germaniam misit. qui vna cum principibus gallice et germanice nationis locum idoneum deligerent. Constantia igitur germanie urbs idonea est visa. Eo proficiscuntur omnes. et iohannes pontifex admonentibus quibusdam ne id faceret. eo tamen profectus. Verum supueniente sigismundo multa crimina pontifici obiecta sunt. quorum causa mutato habitu familiarique clanculum noctu fugiens. Cum iam amplius quatuor mensibus in concilio fuisset schaffhusen abiit burgundiam petere festinans. iussu friderici ducis per viam retentus imperatori traditus et in insula sancti marci in carcerem conicitur. Causam fuge concilium disquirere tum cepit. ad quadraginta exinde capitula contra eum probata sunt. merito et pontificatu deiectus. ad ludouicum igitur bavarie ducem missus in baidelberga triennio asseruatus est. Tandem eo in concilio martinus pontifex surrogatus dum apud florentiam existeret et a cosma de medicis ciue florentino rogaret iohannem a carceribus liberauit. Cum ad martinum venit sese pedibus martini subiiciens eum ut pontificem verum et unicum recognouit. Martinus ea humilitate commotus. primus cardinalis efficit tusculanum. Nec annum integrum supstes florentie et vita migravit. ubi et a cosmo medice amicissimo suo honorificentissimo sepulchro in diui iohannis baptiste templo magna adhibita funeris pompa sepultus est.

Anno mundi. 6616.

Anno xpi. 1417.

Martinus quintus papa. patria romanus. otto cognomento coluna prius vocatus. Ex illustri colunen-
sium familia natus hoc anno in celebritate sancti martini episcopi ex cardinali dyacono in constantinensi concilio nationum omnium et cardinalium consensu pontifex creatur. Is enim a teneris annis cura parentum moribus et litteris imbutus. ubi adoleuisset iuri pontificio perusij operam dedit. unde ad urbem rediens ob integritatem et doctrinam urbani sexti referendarius factus. Inde diaconus cardinalis ab innocentio septimo creatus. humanior factus patrociniis suis omnibus prestabat. In conuentu constantinensi cum multe in utramque partem altercationes haberent ipse medium quoddam tenuit communi utilitati semper consulens. Hanc ob rem et imperatori sigismundo et cardinalibus omnibus gratus. Qui in pontificatu constitutus non somno et otio sed negotio et sollicitudini deditus omnia ad rem pertinentia nullo profect modo. Vir antea nequaquam sagax existimatus sed benignus. In pontificatu tamen ita opinionem de se prius habitam redarguit ut sagacitas quidem in eo summa. benignitas vero non superflua neque minima reperiret. Peracto tamen concilio reuersus per fines mediolanensem. Mantuanorum ferrariensium rauennatum florentiam venit. bononiam vitans que se per id tempus in libertatem vendicarat. florentie vero biennium fere resedit popportuno loco ad rem ecclesie componendam. Nam et cum bractio qui ecclesie oppida per multa occuparat oppitulantibus florentinis concordiam fecit. Illiusque post hec fretus opera bononiam redegit in suam potestatem. et ceteras urbes ubique recepit. ex quo eius plurimum creuit auctoritas. florentiam tandem abiens ciuitatem metropolitanam honore exornauit romam desideratus puenit. vniuersa urbe eidem obuiam effusa. que eum non secus ac patrie parentem expectabat. quam adeo vastatam inuenit ut nullam ciuitatis faciem habere videbat. Quam ob rem pontifex pietate commotus ad eam exornandam componendisque mores ita animum adiecit ut breui qualescens meliorem faciem per se tulerit. plura in urbe restituit. Hic autem vir in omni vita integer. Demum pontificatus sui anno quarto mense tercio rome apoplexia moritur. etatis sue anno sexagesimotercio. Sepeliturque eius mandato in basilica constantiana ante capita apostolorum sepulchro aeneo. comitante populo romano et clero non aliter flente quam si ecclesia dei si urbs roma unico atque optimo parte orbata fuisset. vacat tamen sedes dies. xii.

Linea sumorum pontificum
Iohannes vigesimustercius



Martinus quintus

